DE PATHOLOGIA ARTHRITIDIS ET HAEMORRHOIDIS EARUMQUE CONSENSU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE III. M. MARTII A. MDCCCXLII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUILELMUS CHALONS
LUSATUS.

OPPONENTIBUS:
CONR. DANNENBERG, med. et chir. Dd.
GUIL. KUEHNE, med. et chir. Dr.
GUST. LINDNER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

PATRONO OPTIME DE SE MERITO

H. GRIMM,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, ARCHIATRO REGIO, MEDICO IN EXERCITU BORUSSICO SUPERIORI PRAETORIANO, INSTITUTI REGII MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI DIRECTORI SECUNDARIO, MEDICO NOSOCOMII CARITATIS DIRIGENTI, COMPLURIUM ORDINUM SUMMORUM ET BORUSSICORUM ET PEREGRINORUM EQUITI ETC.

HOC TIROCINIUM

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

Quamquam arthritis et haemorrhois, si obiter consideramus, mirum quantum inter sese differre videntur: tamen accuratius earum natura perpensa et investigata luculenter apparet, intime eas inter sese esse conjunctas, siquidem non modo natura vel caussa proxima uterque morbus eadem nititur, sed etiam ex iisdem caussis remotis originem suam ducit, ita quidem, ut, primordiis per communes utrique morbo perturbationes digestionis exhibitis, diversa eliminationis materiae peccantis, quam dicunt, quae in hoc uno eodemque morbo observatur, forma unice attribuenda sit differentiae alicui relativae caussarum efficientiae, aut directa, aut indirecta debilitantes ratione. Quum quibus rebus differant et inter se conveniant arthritis et haemorrhois, nulla quam analytica ratione accuratius explicari posse videatur: primum quidem tam arthritidem quam haemorrhoidem singulatim perlustrare mihi proposui, tum vero, quae morbo utrique communia sint, comparare, quae peculiaria, disjungere. Itaque ab arthritide, et quidem quia ejus formas regulares et anomalas mox apparebit discernendas esse, ab arthritidis formis regularibus initium capiam.

Symptomata arthritidis normalis distinguenda sunt stadiorum trium.

In stadio primo sive stadio functionis laesae organo-

rum digestionis observantur digestionis perturbationes (1): aegrotus prementem dolorem in regione umbilicali percipit, praecipue post coenam; interdum regio ventriculi paululum tumefacta apparet, in qua haud raro vena portarum uti pulsans sentitur. Paullo ante, quam accessio podagraica sequitur, appetentia ciborum aucta aegroti saepe utuntur, quae acido in ventriculo versante provocari videtur. Aegrotos acido ventriculi laborare, et ructu et gustu acido, interdum adeo ad vomitum acidum usque stimulante (2), facile dignoscitur. Semet ipsis aegroti sunt non contenti et hypochondriaci, interdum autem, etiamsi raro, evenit, ut ante accessionem nimis excitati sint, nimis hilares (3), adeo libidinosi. Maxime notandum est, qua ratione urina commutetur; id quod jamjam Scudamorus (4), tum Bertolet et Trampel (5) observarunt. Urina est enim coloris ex rubro fusci et saturati,

---

(1) Thom. Sydenham in tractatu de podagra et hydrope omnes, ait, animi nervos variis hujusce morbi phaenomenis contemplandis, acriter intendens, illum ἀπεψία seu labefactatae cet. concoctioni ortum debere existimo.

James Johnson Esq. Practische Untersuchungen über die Natur, Behandlung und Vorbauung der Gicht in allen ihren Formen §. 27.

G. E. Stahl, Sect. I. Membr. IV. de congestionibus.

(2) P. Jos. Barthez: Abhandlung über die Gichtkrankheit. Aus dem Franz. v. Bischoff, pag. 39.

(3) cf. Jam. Johnson: §. 2.

(4) C. Scudamore; über die Natur und Heilung der Gicht. Aus dem Engl. von C. Hesse. Halle 1819.

(5) Experimenta a Bertholet et Trampel instituta affert Johnson §. 27.

qui multitudine majore pigmenti acido urico adjuncti efficitur. Haec igitur urina saturata causam continet aegrotorum libidinis, in quam interdum incidunt, quippe quum urina acerrima pruriginem urethrae ideoque erectiones penis efficiat. Inter chemica urinae peculiaria qualitas admodum acida notanda est, quae acido urico plurimum debet; et si acidum nitricum urinae infunditur, magna multitudo ureae nitricae crystallisatae praecipitatur. Ex qualitate urinae, si accurate exquiritur sub, quibus dam conditionibus saepe accessionem jam diu antea dignoscere et curam prophylacticam et prognosin instituere posse medicum, Hufeland, Ideler (1) et Schoenlein monent.

Stadio secundo accessio ipsa i. e. subita eliminatio materiae peccantis continetur. Accessionis vero discerni possunt eruptio, efflorescentia, decrementum sive desquamatio. Eruptionis symptomata sunt et localia et universalia. Symptomata localia sunt, quae sequuntur. Plerumque aegroti nocte e somno expergiscuntur (raro enim accessio luce observatur), ita ut dolore vehementissimo crucientur saepissime articulationis primae aut secundae hallucis et articulationis pedis (podagra), quam Sydenham materiae peccantis dicit sedem genuinam; rarius articulationis genu (gonagra); in aliis articulatio manus accessioni succumbit (chiragra), in aliis articulatio cubiti (pechyagra), in aliis articulatio humeri (omagra), in aliis articulatio coxae (coxagra s. ischiagra). Plerumque unam tantummodo articulationem arthritis aggreditur, multo rarius plures. Dolor est acerrimus, quem aegroti describunt dicentes, ferrum candens aut cuneum intrudi per ossa sibi videri, ita ut, ait Sy-

---

(1) Hufeland's Journ. Bd. XV. St. 4. pag. 99.

denham, nec linteorum superincubantium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concussionem ferre valeant: ideoque vehementer clamare et flere solent adeo robusti. Dolor augetur, si locus affectus digitis tangitur et premitur. Simul articulatio intumescit, et cutis externa, qua tumor obtegitur, rubescit, ita ut aut colorem erysipelaceum aut scarlatinosum aut violaceum accipiat. Tumor calidus, ardens est simulque siccus. Symptomata febrilia haec sunt: primo initio morbi frigus vehemens et conquassans observatur, quod paullo post calor ardens sequitur. Pulsus est magnus, plenus, durus, tensus, cutis arida, lingua aspera. Interdum adsunt ructus acidi, vomituritiones atque vomitus ipsi. Alvus obstructa est. Urina, cujus exigua tantum multitudo secernitur, indolem habet inflammatoriam et admodum acidam. — Eruptio, quae, ut supra dictum, subito intrat, exiguum temporis spatium occupat, sic ut articulationis tumor duodecim vel viginti quatuor horis perfectus conspiciatur. — Tum vero efflorescentia sequitur, cujus itidem distinguuntur symptomata localia et febrilia. Quod ad symptomata attinet localia, item sese habent atque eruptionis: quamquam notandum est, ruborem loci affecti tempore remissionis minus saturatum esse quam tempore exacerbationis. Febris eximie remittentem typum adeoque interdum intermittentem (saepius a Sydenham observatum) exhibere solet, ita ut aegroti tempore matutino nulla fere febre laborent. Interdum fit, ut, si febris typi intermittentis est, accessiones febriles intermittentes die alterna vehementiores incedant, quomodo ad typum tertianum prope accedunt (1). Quamque accessionem febrilem sudor criticus excipit et urina. Efflorescentia modo per

---

(1) Plenciz apud James Johnson. pag. 4.

longius, modo brevius temporis spatium remanet, interdum per plures hebdomades. — Postremo decrementum accessionis et desquamatio loci affecti sequitur. Nunc tumor deminuitur, collabitur, duritiem ejicit. Dolor fere omnino periit, quamquam surditas quaedam articulorum et membrorum adhuc restitit. Simul desquamatur cutis comite prurigine vehementi, quam Sydenham vocat vix ferendam. Febris omnino evanuit sudoris et urinae secretionibus criticis et praeteritis et permanentibus, interdum diarrhoeis criticis post alvi obstipationem.

Stadium tertium sive stadium convalescentiae eo excellit, quod aegroti, qui antea morosi et semet ipsis non contenti fuerunt, nunc hilares fiunt et laeti. — Longiore, breviore temporis spatio praeterlapso eadem, quae descripta est, scena repetitur.

Decursu arthritidis regularis explicato transeo ad formas arthritidis irregulares. Omnium arthritidis formarum anomalarum eadem stadia atque arthritidis normalis reperiuntur. Etenim antecedit stadium functionis perturbatae organorum digestionis stadio accessionis vel eliminationis materiae peccantis. Quocirca stadii primi repetitionem omitto atque statim ad stadium secundum explicandum aggredior, quippe quo discrimina formarum regularium et irregularium contineantur. Modus igitur et locus, quibus eliminatur, regulares separant ab anomalis formis arthritidis, quarum hae ab Ill. Schoenlein distinguuntur species.

Quamquam articulationes occupantur, tamen symptomata modificata apparent duplici modo. Primum quidem articulationes non constanter affectae observantur: quibus sub conditionibus, arthritis vaga (podagra, chiragra, gonagra cet. vaga) nominatur. Arthritis, si vaga est, evanescit et redit, ita

ut articulatio eadem iterum iterumque, aut articulatio alia quaepiam, aut organa interna (arthritis retrograda) afficiantur et articulatio initio occupata liberetur. — Deinde vero memoranda est arthritis, quae vocatur oedematosa, a Stahlio jam observata et propter colorem pallidum tumoris ad morborum spasmodicorum ordinem relata. Haec subspecies characteris atonici est. Articulationes quamquam intumescunt, tamen tumore vere inflammatorio non sunt affectae, siquidem tumor non ruber, sed fere pallidus et oedematosus est. — Utrique huic formae arthritidis anomalae id peculiare est, ut accessiones multo magis chronice decurrant, et post accessionem aegroti nunquam eo modo bene se habeant, quo fieri solet accessione regulari, quae antea descripta est, superata: quocirca fragmentum quasi arthritidis normalis existimandae sunt et ab Ill. Schoenlein fragmentariae vocantur.

Si arthritis apparatum ligamentosum vertebrarum afficit, vertebralis nominatur s. rachisagra. Plerumque una articulatio occupatur, saepius vertebrarum lumbalium, rarius vertebrarum colli et dorsi. Aegroti dolore acuto et osteocopo cruciantur, qui augetur, si locus affectus premitur. Plerumque paullo post symptomata paralyseos incipientis observantur, quae oriuntur e tophis et nodis arthriticis nervos comprimentibus.

Deinde ossa capitis corripi possunt, quae forma arthritis cephalica s. cephalagra vocatur: plerumque ossa bregmatis, rarius os frontis et os occipitis. Dolor est, ut jam descriptus, vehementissimus, imprimis noctu ante mediam noctem, pendet a tempestate. Locus dolore affectus intumescit, ita ut exostosis arthritica nascatur, quae, si in exteriore ossis lamina aut in galea aponeurotica explicatur, nullis aliis symptomatis atque dolore

vexat; sin in interiore lamina, cerebrum comprimit et aut soporem provocat, aut convulsiones periodicas accessionibus epilepticis haud dissimiles.

Tum arthritice affici potest tunica intima et cordis et arteriarum. Quodsi evenit, cor sinistrum laborare solet, imprimisque margo cartilagineus valvularum semilunarium, rarius valvulae ostii venosi. Postremo endocarditis arthritica et cardiostenosis oritur. — Rarius fit, ut membrana intima arteriarum ad deponendas concretiones arthriticas adhibeatur. Si arcu aortae arthritis utitur, aortitis nascitur, quae facile in exulcerationem superficialem transit, atque mortem symptomatis aortitidis observatis: pulsu duro et serrato, accessionibus asthmaticis imprimis noctu aegrotum cruciantibus atque, adhibito stethoscopio, strepitu quodam, quem Francogallici »bruit de diable« vocare solent. — Si arteriae extremitatum, saepius inferiorum quam superiorum, eliminationis causa arthriticae creantur, ossificant, ut dici solet: id quod saepe sphacelum et gangraenam extremitatum efficit. — Admodum quoque verisimile est, arteriae basilaris ossificationem huc referendam esse: quo facto emollities cerebri provocatur, quae sphacelo extremitatum ex causa arthritica orto comparanda esse videtur. Schoenlein hanc sententiam propterea proposuit, quod cerebri emollitionem maxime in iis observavit, qui arthritide vere abdominali atque ossificatione arteriae basilaris ejusque ramorum laboraverant.

Ad eliminationis anomalae arthriticae formas eae quoque pertinent, quae in tunicis mucosis observantur atque blennorrhoeas arthriticas constituunt: diarrhoeam arthriticam atque catarrhum arthriticum non solum organorum urinalium, sed etiam organorum respirationis.

Hisce symptomatis diarrhoea arthritica dignoscitur:

phaenomenis functionis perturbatae organorum digestionis venaeque portarum praeteritis dolorem sentit aegrotus quasi urentem circa regionem umbilici, alvumque dejiciendam. Quae alvo dejiciuntur, anum corrodunt, tenesmum excitant, acidum et odorem et reactionem chemicam praebent, interdum adeo membranam mucosam intestini recti inflammant, ita ut sanguis alvo admixtus et proctitis inveniantur. Dolore imprimis nocte aegroti torquentur. Abdomen inflatur, cujus dolor, si comprimitur, augetur. Etsi initio diarrhoea saepe inflammatorium prae se fert characterem, postea tamen paralyticum accipit (quocirca Sydenham diarrhoeas podagrorum signum mortis jam in propinquo stantis existimat) exinanitionis causa virium: id quod eo cognoscitur, quod abdomen, antea dolenter tumidum, nunc non amplius dolet et tympanitide inflatur, atque secessus inscii et involuntarii sequuntur. Imprimis hic morbi decursus in arthriticis aetate provectioribus observatur.

Catarrhus arthriticus organorum urinalium symptomata haecce offert: aegroti spasmis vesicae urinariae laborant, stranguria adeoque ischuria, quamquam continuo, ut urinam reddant, urgentur. Urina ex rubro fusca et acida, non pellucida sed turbida brevi post tam magnam multitudinem muci tenacis praecipitat, ut sedimentum mucosum ex altero vase in alterum effundi possit. Mucus praecipitatus admodum tenax et cohaerens esse solet, raro, initio certe, purulentus et non cohaerens; multum acidum uricum continet. Blennorrhoea arthritica vesicae urinariae facile in cystitidem transit.

Catarrhus arthriticus organorum respirationis rarius est obvius, aut solus, aut complicatus cum blennorrhoea vesicae urinariae arthritica. Plerumque larynx et trachea afficitur. Aegrotus titillationem sentit loci affecti; vox

mutata est; laborat tussi, quae sputa salse et acide sapientia (acidi urici saliumque uricorum causa) expectorat.

Arthritis anomala observatur quoque in glandulis quibusdam, in quibus inflammationem excitare solet. Huc pertinent nephritis et prostatitis arthritica.

Nephritis arthritica haud raro reperitur, interdum ita, ut aegrotus podagra normali et nephritide arthritica alternatim afficiatur, v. c. tempore veris podagra normali, tempore vero auctumnali nephritide arthritica. Nephritis arthritica eadem fere symptomata exhibet, quae omnino nephritides, atque tantummodo eo differt, quod podagricos occupat, quodque symptomata anteeunt, perinde quasi podagra accedat. Quae in nephritide arthritica vomuntur, admodum acide sapiunt. Ex urina, quae e rubro fusca est, brevi tempore acidum uricum et purpureum praecipitatur. Si concretiones arthriticae in renibus deponuntur, calculi renales facile oriri possunt.

Prostatitis arthritica plerumque chronice decurrere solet. Glandula prostata intumescit, quo fit, ut aegrotus, quominus urinam mittat, impediatur. Interdum calculi prostatici eodem modo quo nephritici existunt.

Postremo ad arthritidis anomalas formas referendi sunt plures oculi morbi, ophthalmia arthritica externa et interna, amblyopia et amaurosis arthritica: quos affectus oculi arthriticos Ill. Juengken ophthalmagram (1) vocat. Ophthalmagram accuratius describere fines dissertationis coarctati vetant.

Postquam arthritis ejusque genera eliminandi descripta sunt, ad accuratiorem explicationem haemorrhoidis transimus. Discerni vero possunt, uti arthritidis, sic

---

(1) J. C. Juengken's Lehre von den Augenkrankheiten.

haemorrhoidum formae eliminationis regulares et irregulares.

Primum quidem de decursu haemorrhoidis regularis.

Stadium primum symptomatis functionis laesae organorum digestionis simillimis fereque iisdem atque arthritidis continetur. Regio umbilicalis intumuit paullulum et interdum regiones hypochondriacae. Saepe manus in abdomine collocata venam portarum quasi pulsantem percipit. Appetitus mutabilis, modo minutus, modo morbose adauctus est. Post coenam minus bene valet aegrotus, ventriculum exoneratum sentit. Excretiones alvinae irregulares sunt, modo obstipatio, modo diarrhoea, qua recepti cibi parum digesti evacuantur. Aegroti morosi esse solent, hypochondriaci, interdum vero, etsi raro, nimis hilares et laeti, imprimis si sibi melius valere videntur, interdum adeo, ut arthritici, libidinosi. (1) Urina acidum uricum saliaque urica periodice (non ita constanter ut in arthritide) praecipitat; qualem urinam si aegroti mittunt, digestionem minus laesam sentiunt quam temporibus, quibus urina qualitatem aut normalem aut spasticam exhibet. Vulgo gradus functionis perturbatae digestionis sese accommodare solet qualitati aëris et alimentis. Si aër calidus atque humidus est, aegroti pejus sese habent ideoque aestate calida iisque temporibus, quibus aestas in hiemem et hiems in aestatem transitura est; si vero aër siccus simulque frigidus est, bene valent. Quod ad alimenta attinet, aegroti maxime iis molestantur, quae systema venosum abdominale irritant, imprimis coffea vinoque, quamquam

---

(1) cf. Lentin's Beiträge zur ausübenden Arzneiwissensch. Vol. II. pag. 165.

libentissime iis fruuntur, quoniam digestionem post coenam ipsam faciliorem, minus molestam reddunt. His symptomatis praeteritis intrat.

Stadium secundum sive eliminationis, cujus substadia discernuntur duo, congestionis et secretionis. Congestio omnia illa symptomata provocat, quae prodromi s. molimina haemorrhoidalia plerumque perhibentur. Eo excellit, quod aegrotus dolores, qui a regione lumbali ad regionem ossis sacri pertinent, interdum tam vehementes percipit, ut incedere atque se flectere vix possit. Hi igitur dolores e nervis sanguine nimis completis venis abdominis compressis originem ducunt. Quibuscum doloribus regionis lumbalis et ossis sacri saepe conjunguntur dolores regionis umbilicalis, qui colica haemorrhoidalis (1) vocantur. Intestini recti venae intumescunt; aegroto corpus quasi alienum in intestino recto versari videtur. Simul venae organorum genitalium, imprimis in feminis, intumescunt, interdum in viris quoque venae plexus pampiniformis. Venae igitur intestini recti tumidae aut prope ad anum reperiuntur et facile oculis perspici possunt, aut supra anum, ita ut haemorrhoides externae et internae (quae quoque interdum intestinum rectum transgrediuntur adeoque usque ad intestina tenuia pertinere possunt, ubi in stadio secretionis versantes speciem morbi nigri Hippocratis constituunt) distinguantur (2). Plerumque alterae cum alteris conjunctae esse videntur. Venae tumidae, quae in irritationis statu versantur, facile inflammari possunt: quo facto haemor-

---

(2) J. W. H. Conradi: von den Haemorrhoiden. Marburg 1804.

(3) Morgagni: de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis. Lugd. Bat. 1767.

rhoides inflammatoriae dicuntur. Facile quoque venae tumidae musculo sphinctere ani incarcerari possunt, quae haemorrhoides appellantur incarceratae s. furentes. Post eliminationem peractam functio organorum digestionis minus laesa aegrotis videtur et interdum omnino fere restituta; nunquam vero hoc modo restituta, quo post eliminationem arthriticam. — Stadium congestionis sequitur secretionis. Secernitur vero ex intestino recto aut mucus (haemorrhoides mucosae s. albae), aut mucus cum sanguine commixtus, aut sanguis purus (haemorrhoides verae s. rubrae). Discernuntur quoque haemorrhoides coecae ab apertis s. fluentibus: quod discrimen a stadio haemorrhoidum aut congestionis aut secretionis pendet. Multitudo sanguinis admodum diversa est, modo admodum exigua, modo permagna (haemorrhoides modicae et nimiae) (1). Qui eliminantur et mucus et sanguis odorem quendam specificum (2) dispergunt. Praeter mucum et sanguinem ex intestino recto secretum circa anum e glandulis sudoriferis sudor, qui vocatur haemorrhoidalis, secernitur. Sudor acerrimus est atque haud raro cutem corrodit et pruriginem, quam dicunt haemorrhoidalem, excitat, aut adeo eczema quoddam, quod ex vesiculis liquore acerrimo impletis constat, quae si rumpuntur aut sponte aut fricatae crusta obteguntur, sub qua per tempus quoddam humor quidem acer funditur. Sudor haemorrhoidalis et prurigo et eczema imprimis in natibus earumque rima et latere interno femoris observantur. Rarissime hoc eliminandi genus regulare febris comita-

---

(1) cf. Trnka de Krzowitz: historia de haemorrhoidum omni aevi observation. med. contin. Vol. I. pag. 166—169.

(2) cf. I. Reil: über die Erkenntniss und Kur der Fieber Vol. III. pag. 160.

tur, et si quando febris adest, admodum exigua esse solet: pulsus paululum tantum acceleratus sub vesperam, calor cutis vix adauctus, urina praecipitans. Quacum febre illa non permutanda est, quae exoritur, si ex haemorrhoide et irritatione intestini recti proctitis forte nata est; haec enim febris ad eliminationem non pertinet.

Quamquam symptomata, quae haemorrhoides regulares offerunt, haud ignota sunt, tamen variis modis diagnosis interdum difficilior redditur. Neque enim omnis sanguis, qui ex ano profluit, haemorrhoidi addicendus est. Exinde sequitur, medicum, si aegrotus se haemorrhoide laborare profitetur, non statim ei confidere necesse esse, sed nunquam omittere, venas intestini recti adspicere et investigare. Cavendum est, ne haemorrhois confundatur cum hisce morbis: cum condylomatis ani; cum venis tumidis gravidarum, quae saepe post partum non evanescunt; cum venis tumidis ani eorum, qui vitam sedentariam degunt simulque obstipatione alvi laborant, eorum quoque, qui multum equo vehuntur; postremo cum venis tumidis ex illis morbis natis, qui circulationem sanguinis liberam perturbent et impediant: qua ex causa non modo intestini recti, sed etiam extremitatum inferiorum venae intumescere solent. Id quod imprimis observatur in phthisicis, ita ut phthisicis in juvenilibus stadio phthiseos provectiore congestio venarum capitis et cerebri, in phthisicis vero aetate stadioque morbi provectiore congestio venarum intestini recti adesse soleat. Quae omnia congestionis venarum intestini recti genera jam dudum a medicis recte cognita et haemorrhoides spuriae appellata sunt. Neque enim nimis difficilis est earum diagnosis, propterea quod primum cum iis, quibus allatae sunt, morbis et conditionibus, cum phthisi, cum equitatione, cum vita sedentaria connexae sunt; deinde quod stadium functionis venae portarum laesae antea observandum neque ad-

fuit neque adhuc adest; tum vero, quod venae tumidae permanent tumidae atque coecae, nec secernunt, aut si irritationis causa tunicae mucosae intestini recti secernunt, odor ille specificus secretionis desideratur. Sed non modo haemorrhoides spuriae cum veris permutatae sunt, sed etiam adeo proctitis; dysenteria, praesertim quum haemorrhoides (quod Juncker (1) et Trnka (2) monent) cum diarrhoea et colica complicatae sint; degeneratio scirrhosa et carcinomatosa intestini recti. Quae in vitia ne incidant medici, necesse est, et oculis et digitis locus affectus quam accuratissime investigetur.

Postquam decursus atque eliminatio regularis haemorrhoidum descriptum est, ad accuratiorem expositionem earum eliminationis anomalae pervenio. Nam, ut jam supra de arthritide dictum, haemorrhoides regulares atque anomalae tantummodo eo differunt, quod harum eliminatio anomala, illarum regularis est. Quum in causas inquiramus eliminationis anomalae haemorrhoidis, facile eas invenire possumus eo, quod dicimus, ceteras venas corporis non minus venis haemorrhoidalibus idoneas esse ad eliminationem efficiendam. Nihilo minus has idoneas esse, docuerunt Breschet et Retzius, quippe venam portarum systema per se ipsum venosum esse non conclusum, sed per anastomoses cum vena cava inferiori conjunctum esse demonstrantes. Formae haemorrhoidis anomalae, quae sequuntur, imprimis observantur (3).

---

(1) Juncker: diss. de dysenteria pannonica. Halae 1732. pag. 112.

(2) Trnka. Vol. I. p. 186.

(3) Alberti: diss. de haemorrhoidum insolitis viis. Halae. 1718.

J. W. H. Conradi: von den Haemorrhoiden. §. 17.

Haemorrhoides renum hae appellantur, in quibus eliminatio renibus efficitur stadio primo praeterito. Primum symptomata irritationis renum apparent, quae ad inflammationem usque adaugeri possunt. Aegroti urinam sanguinolentam mittunt, quae dicitur haematuria haemorrhoidalis. Urina est fusca, nigra, qui color maxime referendus est ad haematin, cujus pars altera praecipitatur, altera solvitur urinamque tingit. Interdum dysuria adest, praecipue quum sanguis in pelvi renali coagulatus sit: qua sub conditione symptomata similia sunt iis, quae calculo renali provocantur. Id quod colica quoque renalis vocatur.

Haemorrhoides vesicae urinariae saepius observantur quam renum, non raro una cum haemorrhoide intestini recti conjunctae. Venae vesicae urinariae, imprimis colli vesicae intumescunt, ad urinam saepe mittendam aegrotum cogunt, quamquam dysuria adeoque ischuria laborat. Si catheterismum explorationis causa adhibes, impedimentum in regione colli vesicae facile quidem superandum tibi occurrit: quo superato paullulum sanguinis ex urethra profluit. Urina ab aegroto emissa cum sanguine et muco commixta est.

Tum ad haemorrhoides anomalas organorum sexualium haemorrhoides (1) pertinent:

Haemorrhoides glandulae prostatae. Intumescit glandula prostata, urethram et intestinum rectum comprimit interdum adeo, ut urina vix et ne vix quidem emitti possit et excretio faecum difficilior reddatur. Tumefactam esse glandulam prostatam, digitus index in anum introductus tactu percipit.

---

(1) Brendel diss. de haemorrhoidibus interceptis morbos verendorum aphrodisiacos simulantibus. Goetting. 1744.

Haemorrhoides anomalae uteri eo dignoscuntur, quod uterus in statu congestionis versatur, quod saepius secernit praeter menstruationis tempora, quod sanguis, qui effluxit, odorem quendam peculiarem dispergit.

In haemorrhoidis formis anomalis numeranda est etiam intumescentia plexus venosi spinalis, imprimis regionis lumbalis: quod saepe quoque una cum haemorrhoide regulari observatur. Interdum autem intumescunt venae plexus spinalis regionis dorsualis et cervicalis. Ita medulla spinalis comprimitur: qua de causa paresis adeoque paralysis nascitur extremitatum inferiorum et organorum pelvis.

Haemorrhoides anomalae etiam cor occupant, nimirum quidem atrium dextrum atque venam cavam inferiorem. Ostium venosum cordis dextri tam dilatatur interdum, ut discrimen, quod inter atrium et ventriculum interest, dispareat: unde aneurysma cordis passivum oritur. Si vena cava inferior afficitur, dilatatur, sanguine impleta est, quam ob rem intumescentia et plethora passiva hepatis et lienis nascitur, horumque functio laeditur.

Haemorrhoides anomalae pulmonum itidem stadii primi et formarum regularium vel irregularium haemorrhoidis forsitan praeteritarum ratione habita dignoscuntur. Aegroti dolorem prementem in pulmonibus sentiunt, dyspnoea laborant et tussi. Sonus percussionis obtusus est, respiratio magis minusve laboriosa, strepitus respirationis asper. Si stadium congestionis adest, tussis expectorat mucum; si jam stadium secretionis, haemoptoea et pneumorrhagia observatur.

Postremo haemorrhoides anomalae in oculis, in quibus inflammationem excitant, obviae sunt, quam speciem Ill. Juengken inscripsit ophthalmiam haemorrhoidalem(1).

(1) J. C. Juengken's Lehre von den Augenkrankheiten.

Nunc vero symptomatis arthritidis et haemorrhoidis earumque eliminatione regulari et irregulari explicatis, temporis spatium utriusque morbi afferendum atque decursus describendus restat.

Haemorrhois et arthritis morbis chronicis adnumerandae sunt, siquidem, quos affecerunt, per totam vitam comitari solent. Etsi vero morbus chronicus est, tamen ejus symptomata non continua esse solent. Sunt enim distinguenda morbus totus ejusque accessiones. Praeter accessionum tempus symptomata vix et ne vix quidem animadverti possunt. Initio morbi accessiones ab anni temporibus pendere videntur (1), quum tempore veris et auctumni plerumque observentur, quamquam accessiones primae longioribus quoque temporis spatiis adeoque annis interjectis distare et disjungi possunt. Primi vero paroxysmi praeteriti vere et auctumno repeti solent. Si morbus jam inveteratus est, paroxysmi non amplius temporibus anni adstringuntur, sed causa quaque occasionali tempore quovis provocari possunt, v. c. noxiis causis alimentariis. Quod ad tempus, quod accessio replet, attinet, notandum est, accessiones arthritidis regularis per tres vel quatuor septimanas durare solere, accessiones arthritidis anomalae per longius breviusve temporis spatium; accessiones vero haemorrhoidis interdum per quindecim dies, interdum per horas paucas. Quo longior et vehementior accessio, eo longiora et integriora intervalla esse solent.

Decursus utriusque morbi quadruplici exitu finiri potest: convalescentia, convalescentia partiali, transitu in

---

(1) cf. Sydenham tractat. de podagra.
Trnka Vol. I. pag. 169–176.
Reil Vol. III. pag. 165.

alium morbum atque morte. Cf. **Johnson**, qui plurium medicorum **Musgrave**, **Cullen**, **Stoll**, **Hoffmann**, **Guilbert**, **Wepfer**, **Whytt**, **Paulmier** observationes de exitu arthritidis composuit.

In convalescentiam uterque morbus per lysin transit, ita ut accessiones breviores et minus vehementes, intervalla vero longiora et integra fiant, symptomatis perturbationis organorum digestionis disparentibus. Si perturbationes digestionis non evanescunt, timendum est, ne haemorrhois et arthritis anomalae fiant: quod saepe in aetate provectioribus observatur signum virium decrescentium et minorum, quam quae ad eliminationem necessariae sunt. Bene igitur spectandum est, num eliminatione deficiente symptomata quoque perturbatae digestionis dispareant et aegroti omnino bene valeant. A fine morbi totius discernendus est finis accessionum singularum. Accessiones podagrae finiuntur sudore critico et urina; crisis localis desquamatio cutis habenda est. Interdum etiam haemorrhois critica ex intestino recto adest, siquidem arthritis et haemorrhois, quod interdum fit, sese invicem compensant. Haemorrhois critice finitur dejectionibus alvi copiosis, faeculentis et foetidis, nonnunquam sudoribus partialibus circa anum, rimam ani et latus femorum, atque interdum urina critica.

In convalescentiam partialem arthritis et haemorrhois transeunt, si ipsae quidem evanescentes perturbationes quasdam magis minusve perniciosas relinquunt. Si salia, quae arthritide deponi et e calcaria urica et phosphorica, ex Ammonio urico et phosphorico, interdum etiam cum salibus lacticis conjunctis constare solent, in articulo ipso deponuntur, quod saepissime evenit, anchylosin spuriam; si in juncturis vertebrarum, paralysin; si in lamina interna ossium cranii, epilepsiam; si in

sorde, stenocardiam et valvularum vitia; si in arteriis, anginam pectoris, gangraenam arthriticam, fortasse etiam emollitiem cerebri efficere possunt. Haemorrhoides vitia intestini recti relinquere possunt, gangraenam intestini recti ex causa haemorrhoidum incarceratarum, tum exulcerationem et fistulam ani, stenosin intestini recti ex causa tunicae mucosae laxatae. Stenosis intestini recti, quominus faeces evacuentur, prohibet, ectasiam idcirco ultra locum coarctatum efficit.

In alios morbos hosce abeunt arthritis et haemorrhois: in inflammationes, hydropes, degenerationes carcinomatosas, exulcerationes et phthises, denique quoque in morbos animi. In inflammationes saepissime transeunt, et in primariam, quae in iis, quibus eliminatur organis, articulationibus et intestino recto emergit; et in secundariam per metaschematismum, si eliminatio regularis ullo modo impedita est, ideoque locus minoris resistentiae afficitur, irritatur et inflammatur; quomodo oriri potest pleuritis, meningitis, endocarditis arthritica; itidem pleuritis, gastritis, enteritis haemorrhoidalis cet. Imprimis saepe in podagris observatur podagra sensim et pedetentim decrescente rariusque emergente ventriculum inflammatione chronica (1) laborare coepisse libenter et perfacile non modo in indurationem telae cellulosae submucosae, sed etiam in scirrhum et carcinoma transeunte. In haemorrhoicis vero, haemorrhoide regulari evanescente, hepatitis chronica libenter emergit. In arthritide et haemorrhoide anomala saepe fit, ut, quae morbo sint producta, in hoc vel illo organo deponantur calculorum instar, in arthriticis praecipue calculi renales et vesicae urinariae, in haemorrhoicis vero calculi hepatici et vesicae felleae. — Alius morbus secundarius

(1) Fr. Hoffmann de inflammatione ventriculi frequentissima.

post arthritidem et haemorrhoidem hydropes sunt et subinflammatorii et asthenici. Hydrops activus saepius in arthriticis observari solet in diversissimis formis: oedema articuli arthritide occupati, hydarthrus, hydrothorax, hydropericardium, hydrops ascites cet. Hydrops arthritide provocatus celerrime oriri solet quantitate plerumque permagna liquoris hydropici exsudata. Hydrops haemorrhoide prolatus asthenicus esse solet. Oritur aut ex sanguinis exinanitione profluvio sanguinis nimio, aut e stagnatione sanguinis venarum abdominalium tumidarum et compressarum praecipue hepate. — Degeneratio scirrhosa et carcinomatosa tantummodo ex causa haemorrhoidali, non ex causa arthritica exsistit. Quae degeneratio non oritur, nisi simul dyscrasia quaepiam, praecipue scrophulosis sive aperta sive occulta in corpore, atque locus affectus in continua irritatione versatur. Quomodo carcinomata haemorrhoide exorta, regulari quidem haemorrhoide praeterita, intestini recti, anomala vero haemorrhoide praeterita, non raro uteri, rarius glandulae prostatae et mammae muliebris reperiuntur. — Inflammationes ex irritatione haemorrhoidali et arthritica progredi posse, supra commemoratum est. Inflammatio autem, nisi supprimi potest, in abscessum et exulcerationem ideoque in phthisin transgredi potest, v. c. exulceratio et phthisis vesicae urinariae ex irritatione et inflammatione haemorrhoidali, exulceratio et phthisis intestinorum, nephrophthisis ex irritatione et inflammatione arthritica progredi potest. — Haud raro evenit, ut animi morbi ex causa haemorrhoidali et arthritica originem ducant. Quod non mirum, quippe quum primo initio utriusque morbi perturbationes animi, morositas et status quidam animi hypochondriacus eluceant, magis in haemorrhoicis, minus in arthriticis. Qui status animi praevalere incipere possunt, et relinqui imprimis haemorrhoide aut ar-

thritide suppressa. Haemorrhoides eas animi perturbationes relinquere solent, quae ex animi depressione pendent, hypochondriam et melancholiam; arthritis vero animi perturbationes contrarias, praecipue formas diversas maniae. Mirum est, quod in hypochondriacis et melancholicis saepius observatum, eos ad sese ipsos delendos esse propensos, maniacis delendi cupiditatem ad ea, quae ipsis aliena sunt, conferentibus.

Mors haemorrhoide et arthritide regulari ipsa rarissime affertur. Afferri certe potest virium exinanitione effecta aut febre nimis intensa accessionis arthriticae, aut secretione nimis profusa (1) sanguinis, accessionis haemorrhoidalis. Saepius vero transitus in interitum causae sunt et formae anomalae arthritidis et haemorrhoidis, praesertim quum organa ad vitam sustentandam necessaria affecta sint, et secundarii morbi diversi modo commemorati.

Postquam attulimus, quae in arthritide et haemorrhoide observantur, facili negotio jam colligi potest, quae iis communia, quae peculiaria sint, quaeque de consensu utriusque morbi evincantur: quibus illustratis etiam earum causa proxima magis percipi atque intelligi poterit. Intime haemorrhoides et arthritidem inter sese conjunctas et connexas esse, jam Stoll, Stahl (2) ejusque sectatores Reil (3), Alberti (4), Sydenham (5)

---

(1) Fr. Hoffmann: medic. rat. Tom. III. sect. I. c. 7. §. 33.

(2) G. E. Stahl: de haimorrhoid.; diss. de calculo; disputat. de vena portae porta malorum aliisque locis.

(3) J. C. Reil: über die Erkenntniss und Kur der Fieber. Vol. III. cap. VII. §. 79.

(4) Alberti: de haimorrh. consensu c. arthrit. et podagra.

(5) Thom. Sydenham: tractat. de podagra et hydrope.

optime cognoverunt. Cf. Schoenleinii Pathol. et Therap. Vol. III.

Sedes utriusque morbi organa systematis chylopoëtici ducenda sunt. Itaque initio morbi observantur functiones laesae eorum, quae digestioni serviunt, organorum: appetitus perversus, aut deminutus, aut adauctus interdum usque ad bulimum; post coenam aegrotus male sese habet; ventriculus nimis cibis impletus et paululum tumefactus ei videtur; excretiones alvi perversae sunt, modo nimis frequentes, modo nimis rarae. Quibuscum symptomatis, quae enarravi, commutationes quaedam, quae ad systema venarum abdominalium pertinent, se conjungunt: id quod jam Stahl cum iis, qui eum sunt secuti, bene quidem cognovit, justo vero pluris aestimavit, quum venam portarum venam dicat malorum. Turbationes igitur venarum abdominalium hae sunt: dilatatio venarum haud raro cum hypertrophia parietum juncta, varicositates, decursus magis anfractuosus. Tum vero mixtura sanguinis venarum permutata est, quae eo continetur, quod sanguis venarum spissitudine, quam dicunt, laborat: quam spissitudinem experimenta docent inde proficisci, quod sanguis venarum majorem quantitatem fibrinae et sanguinis corpusculorum, minorem vero quantitatem seri statu vitae normali contineat. Producta functione perturbata organorum digestionis spectanda sunt acida quaedam, quae in secretionibus diversis plerumque basibus quibusdam annexa observantur, quaeque medici superiorum temporum acrimoniam arthriticam appellare soliti sunt. Nondum constat, utrum ea, quae creantur, acida chemismo corporis humani organico omnino sint aliena, an tantummodo, quod verisimilius videtur, quantitas acidorum constantium augeatur. Itaque v. c. quantitatem acidi muriatici et acetici ven-

triculi, acidi uricae urinae adauctam observamus. Quae functione anomala organorum digestionis sunt procreata, e corpore removenda et eliminanda sunt. Interdum, quamquam perraro, fit, ut cumulus ille acidorum per organa secretionis naturalia eliminetur, ita ut continuo, quod nimium est, removeatur aut organis uropoëticis, aut glandulis cutis sudoriferis, aut alvi excretionibus. Tum vero haud raro accidit, ut urina tam acida sit, ut, simulatque frigescere coepit, crystalla foliacea acidi urici praecipitentur. Itidem sudor se habet, cujus non modo odor qualitatem acidam indicat, sed interdum etiam crystalla minima in cute, sicut pulvis alcoholisatus, collocata, nonnunquam et oculis inermibus et tactu percipienda. Tandem fit, ut materia morbose procreata excretionibus tubi intestinalis amoveatur, ubi alvus reactionem acidam exhibet, interdum tam acidam, ut anus corrodatur. Itaque longum temporis spatium, adeo anni decurrere possunt, intra quos nullo alio ac descripto modo materia, quae appellatur peccans, e corpore eliminatur. Attamen notandum est, hoc nonnisi rarissime usu venire. Plerumque enim materia peccans in corpore usque ad gradum quendam, qui saturationem quasi significat, colligi solet: quo facto subito materiae pathicae e corpore eliminantur. Haec igitur eliminatio materiae morbose procreatae duplici modo efficitur: quo differentiae formales arthritidis et haemorrhoidis continentur. Nam omnia, de quibus hucusque sermo fuit, et haemorrhoidi et arthritidi sunt communia: atque haec causa proxima utriusque morbi est. Simulatque vero eliminatio subita, collecta materia peccante usque ad saturationem aegroto idoneam, secuta est: discrepantia, quae tantum ad formam referenda est, utriusque morbi apparet. Si eliminatio venis efficitur, morbus haemorrhois nominatur: si

vero materia peccans in membranas fibrosas et serosas removetur, morbus appellatur arthritis. Modus eliminandi arthriticus febre vehementer synochali plerumque effici solet, eliminatio vero haemorrhoidalis aut sine ullo febris vestigio, aut quamquam raro febricula exigua. Omnino notandum est, arthritidem characterem morborum sthenicum, haemorrhoidem characterem asthenicum prae se ferre (1): quod jam Brownius (2) demonstravit. Hanc eliminationem depurationis causa fieri, jam medici priorum temporum, imprimis Stahl, docuerunt et jure optimo, quonium medici, si morbo mederi volunt naturam sequentes, ad removendam materiam peccantem respicere debent. Conditiones, sub quibus eliminatio hac vel illa via efficitur, statim accuratius expositurus sum. Neque enim fortuito haec vel illa eliminationis ratio a natura eligitur, sed certe sunt conditiones et leges, sub quibus hanc vel illam eliminationem effici necesse est.

De caussis primum quaeritur utriusque morbi, num, quum eorum natura sit eadem, caussas quoque easdem esse demonstrari possit: id quod convenire necesse est, quippe quum caussas modo easdem idem efficere posse constet. Easdem vero utriusque morbi caussas esse experti scimus. Quodsi constat, secundae quaestioni respondendum est: quibus sub conditionibus eveniat, ut morbus caussis statim explicandis provocatus aut haemorrhoidum, aut arthritidis formam recipiat. Postremo vero tertia quaestio nobis occurrit: quae conditiones haemorrhoidum et arthritidis eliminationem aut regularem,

---

(1) Weikard: medicinisch-practisches Handbuch. Vol. I. pag. 263.

(2) Brown: elementa medicinae. §. CLV.

aut anomalam reddant. Quae omnia Ill. Schoenlein in praelectionibus theoreticis praeclare exposuit.

Primum igitur videamus, quibus caussis haemorrhoides et arthritis summatim provocentur.

Praedispositio, quamquam cuique inest, tamen augetur:

1. aetate provectiore. Nunquam fere ante pubertatem haemorrhois et arthritis observatur, quamquam Trnka (1) et Sydenham (2) nobiscum communicant, se haemorrhoides et arthritidem jam in pueris observasse; raro aetate juvenili primisque annis aetatis virilis. Ab anno fere tricesimo usque ad involutionem praedispositio, ut jam Hippocrates (3) docet, maxima esse videtur.

2. Hereditate (4). Praedispositio hereditaria non semper usque ad aetatem mediam omnino quiescit, sed interdum jam in pueris cognosci potest perturbationibus variis, quibus afficiuntur, v. c. proctorrhoea, stricturis intestini recti, hypertrophia ideoque aucta contractio musculi sphincteris ani (ab Hufelandio observata); si liberi parentibus arthriticis nati scrophulosi laborent, scrophulosin ossa occupare et rachitidem oriri animadversum est; observata quoque est (imprimis a Frikke) in his pueris fragilitas ossium eximia; sub pubertatem epistaxi narium (5) laborare solent; postremo sub tricesimum, quadragesimum annum haemorrhois aut arthritis erumpit.

3. Vita sedentaria. Confer, quod supra dictum est, de haemorrh. spuriis.

---

(1) Trnka Vol. I. pag. 34. sq.

(2) Sydenham. tractat. de podagra pag. 556.

(3) Hippocrates: Aphorism. Sect. III. 30.

(4) Alberti: dissertat. de haemorrh. hereditariis.

(5) cf. Joh. Stieglitz: patholog. Untersuchungen. Vol. II.

Causae occasionales sive externae alimentis continentur iis, quae digestionem debilitent. Debilitant vero aut directa aut indirecta via. Directa via debilitant v. c. magnae multitudines ciborum, qui paululum modo, quod digeri potest, continent; indirecta via i. e. superirritatione praeterita organorum digestionis debilitat genus vivendi luxuriosum: alimenta et potus irritantia, imprimis vina praecipue cum excessu in venere conjuncta.

Nunc ad quaestionem secundam nos convertimus, quibus sub conditionibus morbus causis explicatis provocatus formam eliminationis aut haemorrhoidalis aut arthriticae accipiat. Hae fere sunt, quae sequuntur.

1) Genus. Arthritis regularis unice fere viris peculiaris est, interdum viraginibus (1). Arthritis anomala, praecipue vaga, etiam in feminis observatur.

2) Hereditas. Si parentes haemorrhoide laborarunt, etiam liberi haemorrhoide; sin arthritide, etiam liberi laborare solent arthritide.

3) Habitus quidam peculiaris (2), quem arthriticum et haemorrhoidalem vocari posse Schoenlein existimat. Qui arthritide infestantur, validi et robusti esse solent, praevalentibus organis respiratoriis atque systemate arterioso, indole sanguinea praediti. Homines vero obesi, pingues, pectore parvo, hepate et omnino organis abdominalibus praevalentibus ad eliminationem haemorrhoidalem propensi sunt.

4) Causae alimentariae, quum rebus directa via debilitantibus haemorrhois, rebus vero indirecta via infringentibus arthritis nasci soleat. Omnes enim medici ex-

---

(1) cf. Sydenham: tractat. de podagra.

(2) cf. P. J. Barthez: über die Gichtkrankheit. Vol. I. pag. 17.

perti docent, eos, qui bene vivant et superirritatione debilitentur, eliminatione arthritica; qui misere vivant, eliminatione affici haemorrhoidali. Id quidem in nationibus quibusdam universis, ex quibus alteri ditissimi, alteri pauperrimi sunt, optime observari potest, v. c. in Anglis, in Italis, inter quos divites arthritide, pauperes vero haemorrhoide correpti sunt.

5) Constitutio morborum epidemica. Si constitutio epidemica inflammatoria est, formae arthriticae florent; si vero genius morborum est gastricus, biliosus, gastrico-biliosus, nervosus, gastrico-nervosus, vi morbi quodammodo deficiente, haemorrhoides potius deprehendi solent. Fit quoque sub his conditionibus, ut in uno eodemque, morborum genio commutato, tum podagra, tum haemorrhois observetur.

6) Methodus curandi (1). Quod facile nobis persuadere possumus, si in tempora Stahlii redire placet. Stahlius enim (2) sententiam proposuerat, haemorrhoides non minus necessarias esse ad sustentandam bonam valetudinem menstruatione. Itaque Stahlio cum pedissequis suis haemorrhoides provocare in animo fuit; id spectavit usus et abusus medicaminum pellentium, imprimis aloëticorum. Quomodo non mirum, quod illis temporibus haemorrhoides saepissime atque frequentius quam ulla alia tempestate esse et observatas et observandas.

7) Morbi articulationum, qui sunt aut fuerunt, eliminationi arthriticae favent.

8) Nec praetereundum est, modum eliminationis unius

---

(1) R. Fonseca: consultat. med. Tom. I., consil. 27.
(2) cf. praxin Stahlianam: de haemorrh. pag. 410.

ejusdemque aegroti commutari posse: quod Stahl et Sydenham saepius viderunt. Id fieri potest constitutione morborum epidemica mutata (cf. supra); deinde anni temporibus mutatis, ita ut aestate eliminatio haemorrhoidalis, hieme vero eliminatio podagraica interveniat; tum vero interdum accidit, ut accessionibus et haemorrhoidalibus et arthriticis aegrotus idem eodem tempore affici, vel certe accessionem alteram modo praeteritam altera brevi post sequi possit: quodsi fit altera eliminatio altera mitigari et quasi compensari solet.

Restat, ut demonstretur, quaenam conditiones haemorrhoidem et arthritidem regularem reddant anomalam. Haecce respicienda sunt:

1. Ut ratio eliminationis regularis effici possit, modus et cumulus quidam virium aegroto necessarius est; viribus igitur deficientibus eliminatio irregularis et manca evadit, cujus caussae praecipue continentur aetate nimis provecta, involutione, ita ut podagrae v. c. aetate media vigentis senectute arthritis anomala locum occupet; tum curatione nimis antiphlogistica et debilitante; deinde menstruatione et haemorrhoide omninoque sanguinis jactura nimis copiosa, et quae sunt alia generis ejusdem.

2. Deinde anomala eliminatio evadit, si organismus, quominus eo, quo eliminetur, organo utatur, impeditur: si v. c. intestinum rectum frigori continuo exponitur, venaeque haemorrhoidales, quominus eliminentur, turgore sanguinis deficiente prohibentur, eliminationem anomalam sequi necesse est. Idem de articulis arthritide occupandis valet.

3. Si tempore eliminationis intrantis organon aliud in irritatione versatur atque locus minoris resistentiae est, fit, ut organo irritato eliminetur: quum forte v. c. catarrhus pulmonum adest, evenire potest, ut sanguis, qui venis haemorrhoidalibus expellatur, venis pulmonalibus eliminetur; et si forte tempore accessionis podagraicae renes in irritatione versantur, fieri potest, ut ii arthritide occupentur.

VITA.

Ego, Henricus Adolphus Guilelmus Châlons, anno h. s. XIX. die XXVIII. mensis Junii Gubenae Lusatorum natus sum patre Guilelmo, matre Guilelma e gente Holmach, quos hucusque vivos et salvos Deus benignus mihi servavit. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis in Gymnasio urbis patriae, quod initio Guil. Richteri, tum Fr. Reimnitzii, virorum doctissimorum, auspiciis florebat et adhuc floret, imbutus sum. Testimonium maturitatis a. h. s. XXXVII. exeunte nactus tempore paschali ejus qui secutus est anni inter cives instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium audivi: Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de medicinae historia; Cel. Benecke de logice; Ill. Mitscherlich de chemia anorganica et organica; Ill. Link de botanice, historia naturali et toxicologia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et de anatomia organorum

sensuum; Ill. Mueller de anatomia universali, de physiologia, de anatomia comparata et pathologica; quo eodem et Ill. Schlemm ducibus cadaveribus rite secandis operam dedi; Cel. Eck de physiologia, de pathologia et therapia generali; Beat. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Ill. Horn de morbis syphiliticis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Kluge de arte fascias chirurgicas rite imponendi, de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia; eundem cum Cel. Froriep de akiurgia cum operationibus in cadaveribus institutis. — Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, medico-forensibus interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum: Wolff jun., Schoenlein, Juengken, Dieffenbach, Truestedt, Kluge, Wagner.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque agam gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Haemorrhoides et arthritis ex uno eodemque fonte oriuntur.
2. Albumen in urina repertum non est signum pathognomonicum morbi Brightii.
3. Febris est ex iis, quae dicuntur reflexionis phaenomena.
4. Amaurosis non morbus ipse, sed nil nisi symptoma est morborum admodum diversorum.
5. Pyromaniam omnino rejiciendam esse puto.